

DEO DUCE!
SPECIMEN ACADEMICUM
De

CONSENSU RATIONIS & FIDEI,

Quod,
*Suffragante Amplissima Facultate Philosophica
in Regia Academia Aboënsi,*

PRÆSIDE

HENRICO HASSEL,

Eloquent. Profess. Reg. & Ord.

Publico bonorum examini modeste submittit

JOHANNES GEZELIUS,

J. F. N. Pronepos.

Die VI. Junii Anni MDCCXLIV.

Loco horiqve solitis.

ABOÆ,

Excud. JOH. KIEMPE, Reg. Acad. Typogr.

S:æ R:æ M:is
Regniqve Sveciæ
SUMMÆ FIDEI VIRO

Ac
SENATORI,
Nec non
Academiæ Aboënsis
CANCELLARIO,
Excellentissimo Illustrissimoqve
BARONI,

D^N. OLAVO
CEDERSTRÖM.

MÆCENATI SUMMO.

*Q*uem rerum humanarum Rector ac Modera-
tor Summus, Reipublicæ consiliis administran-
dæ, fulcrum posuit atqve columen, *Quem Idem*
Clementissimum Numen cæmenis nostris Aurais
Epho.

S:æ R:æ M:is
MAXIMÆ FIDEI VIRO,
Regii Regniqve Collegii
Militaris PRÆSIDI,

Illustrissimo
BARONI,

D^N. CAROLO
CRONSTEDT

MÆCENATI MAXIMO.

*I*lluxit tandem dies tot votis expetitus, DOMI-
NE ILLUSTRISIME, quo documentum
quoddam venerationis, ad hoc usque tempus
mente solum recondita, in publicum edere
co.

Ephorum ac Patronum constituit exoptatissimum
Quemque insignes virtutes commune singulorum li-
teris operam navantium praesidium fecerunt, TIBI,
EXCELLENTISSIME DOMINE, in quo haec omni-
a conveniunt, mente manuque devota haec studio-
rum primitias non dubito consecrare. Adspice au-
tem fronte serena, quod sola pietas non fucata
mentique alte infixata provocat officium. Neque
CELSITUDINE TUA plane indignum iudices, favo-
ris TUI me saltem particula beare; fovet namque
sol radiis fulgentissimis, non solum qua excello posita
sunt loco, sed etiam qua ima cernuntur valle, imo
haec efficacius, quam illa. Fas itaque, ut de gratia
TUA certo mihi, quo caepi venerationis cultu, TE
MÆCENATEM incomparabilem semper prosequi
liceat. Sic non intermittam vota nuncupare calidissi-
ma pro perenni incolumitate ac flore TANTI HE-
ROIS, Cui me fortunamque meam cernuus commendo

EXCELLENTISSIMI NOMINIS TUI

subjectissimus alienus
JOH. GEZELIUS
J. F. N. Pronepos

coram oculis TUIS sistere mihi licet. Placuit e-
nim TIBI, VIR ILLUSTRISIME, inde a longo
retro tempore me, nullis id servitiis promerentem,
singulari gratia ac favoris affectu dignari; quare
meum est exitque semper tantum colere PATRO-
CINIUM, reverentiamque in MÆCENATEM, quo
fieri unquam potest modo, testatam facere.
Proinde sacri huius officii memor, opusculum
hoc, tenue licet atque exile TIBI, PATRONE, in-
scribere sustineo, submisisse orans atque obse-
crans, oblatum benigne admittas, & quam
ad praesens usque mihi contulisti gratiam, ean-
dem in posterum etiam perpetuam conserves.
Faxit DEUS O. M. ut inter mortales quam
diutissime superstes valeas, vigeas floreasque!
ita voveo.

ILLUSTRISIMI NOMINIS TUI

devotissimus alienus
JOH. GEZELIUS
J. F. N. Pronepos.

S:æ R:æ M:ris
Magnæ Fidei VIRO

Et

Instrumenti Bellici

SUMMO PRÆFACTO,

Perillustri

BARONI,

**DN. PETRO
SIÖBLAD**

MÆCENATI MAGNO.

Non ex longinquo sunt arcessenda rationes,
hunc ingenii fœtum VOBIS offerre consti-
condignam benivolentiam, quam scientiarum bo-
vatim vero suspicio gratiam atque favorem, quo
igitur, MÆCENATES opusculum hoc, omniq; vi-
quam toties experiri licuit benivolentia freius, pie-
gans, hanc venerabundi anisni declarationem fa-
numero locum concedatis mihi, qui fausta VO-

PERILLUSTRIUM NO.

Cultor De-
JOH. GE.
J. F. N.

S:æ R:æ M:ris
Magnæ Fidei VIRO,

GENERALI MAJORI

Ac

DIRECTORI Architecturæ
Militaris,

Generosissimo DOMINO,

**DN. GABRIELI
CRONSTEDT,**

PATRONO MAGNO.

MÆCENATES MAGNI, quibus adductus,
tui. Veneror illam, TANTIS VIRIS omnino
narumque artium cultoribus prestare soletis; pri-
nullo non tempore me fuistis amplexi. VOBIS,
dem vitore proprio destitutum, illa duntaxat,
offero consecroque, juxta qua decet reverentia ro-
rentes excipiat, atque etiam posthac in clientum
BIS omnia ac felicia perpetim apprecabor

MINUM VESTRORUM

ostissimus
ZELIUS
Præceptor

Nobilissimo Domino,

**D^N. PETRO
AULÆWILL,**

CONSULI urbis Holmiæ, curam justitiæ admini-
strandæ gerenti, Gravissimo Æquissimoque,
AVUNCULI loco Venerando.

Nobilissimo

D^N. JONÆ

Legioni Fulminatrici a Judicis
AVUNCULO
ætatem

Vobis, AVUNCULI PROPENSISISSIMI, ob bene-
bus ne recensendis quidem, nedum remun-
mi ac reverentiæ pignus, qua par est pietate & vo-

NOBILISSIMORUM VE-

Cultor ob-
JOH. GE-
J. F. N.

Nobilissimo Generosissimoq; Domino,

**D^N. CAROLO
ARNELL,**

SECRETARIO Regio Solertissimo, accuratissimo,
AVUNCULO propensissimo,
Jugiter colendo.

Domino,

ARNELL,

& Epistolis Accuratissimo,
Benignissimo,
inspiciendo.

*ficia plurima, nunquam non mihi exhibita, qui-
randis sufficio, hasce pagellas, in gratis sumi ani-
to omnigena Vestra felicitatis dat, dicat & consecrat*

STRORUM NOMINUM.

strictissimus
ZELIUS
Prorsus

*Episcopi quondam Borgoënsis, b. Doct. JOH. GEZELII
superstiti Filio,
Nobilissimo Domino,*

Dn. JOHANNI GEZELIO,
De Contentu rationis & fidei egregie disputanti,

Grande fuit quondam sat nomen Gezelianum,
Prima sacerdotum gloria, noster honos.
Implet fama polos, spargendo dogmata sacra
Atque profana, simul pervolat omne solum.
Auctores celebres certo numerosa manebit
Gloria, quæ in bucca posteritatis erit.
Laudis Gezelianæ es nobilis unicus hares
Excelsi ingenii judicijque simul.
Te sibi jam rudibus cælum seligit ab annis,
Cognovitque suum nobile delictum.
Nunc opus in lucem mittis, quod docta Minerva
Controbat, ac clarum sternit honoris iter.
Quod superest, animo TIBI toto gratulor, utque
Olim sis atavis, sis abavis similis!
Gratulor en pleno depromtis pectore verbis,
Vive diu patria gemma corusca domus!
Nec prins e terris abeat, quam splendida binos
Implet fama polos, pervolat omne solum!!!

Sic tenuis charus dona gatulatur

Amicus

MATTHIAS HALLENIUS
Aq. Theol. & Past. Lundensis.

Til Herr AUCTOREN.

Sed sold af Jätte art, af kyndig mod och sinne,
Som sagt all tro farväbt, ja skelfwa himlen rett,
Pigverat sig utaf förnuft, förstånd och wett,
Ändoc at knapt et grön af slite hos dem är inne.
The yttre sedde föracht af beligt alt, och mena,
En så förbederwad sät skal pynda dem allena.

Et sold af annan art, men lika willowägar,
Har förra giffets oos så diuvt til hiertat gådt,
De de också deraf i hiernan klänning säd,
Och to förnuftets wärd så snöpligt wärda plägar;
At när aldeles det är qwaft och stöbt, de tycka
Sig haswa nåde sitt måhl och spizen af sin lycka.

Wär lärde Auctor har, sig til en märklig pynda,
I detta wäcka wärd wist dese folkslag två,
De så **JOMRUST** som **EDD** böe hoos hwarannan stå,
Ja, at förnuft och wett förutan tro och lycka,
Är högsta oförnuft: och tro förutan snille
Har mången bracht på fall och stört i ewig willo.

Det missförstånd, hwaraf mång lärde för hufwud stötter
Sig tyckt i dessa tu nu nyh omwörde ting
Den stridighet ha sedt, som under månans ring
Har gifwits någonsin, uprifwes här med röster:
De äro folkor två, af ähta art och lyste,
At hoos hwarannan de ei tåla minsta lyte.

Så lärde et ämne jag utöfwer mig högst fdgnar,
I hopp at det så wä och artigt föres ut,
Som det för mångom synes en ouplöslig knut
Och det förtienta lof at Herr Auctoren ägnar:
En digert sulles prof, då det bärs fram i dager,
Förtienar och at bli belönt med frans och lager.

JAC. HAARTMAN Johanson.

Corkia-Cunna-Sucuiselle ia Corkiasti oppenulle Herralle.
Herr JOHAN GEZELIUXELLE.

Jobana Julkinen Jaur, Joca Julosti Julistat Juttui,
Opis Obilla Ojenat, Opetat Oudoille Oven;
Heratat Hakeman Hyvia, Hyljeman Huonoja Haaro
Andaiden Asiais Alux AURAN Abkeras Abjos
Nabdaxi, Neuvaxi Nijl Nurioil Niskureil Nivet,
Natisten Nitoman Nije, Noutaman Neuvoja Nuorna,
Edeisild, Bileisild, Ett' Estaiht Endisat Erhet;
Selvel Selitet Suul, Seka Sidos Selkie Sijma.
GEZELI Kirjoitat Kirjan, Kirret keritat Kerkiex;
Endistow Esisais Edut Estemat Etzic.
Zionist Siunauht Saurt' Sull' Saocan Sangari Suuri,
Edehta Etzimaht Eduin Ebiain; Etz' Eleisit Efteit!
Luoja Laupiat Labjas Lainacon Linnasta Lujast;
Jacobin Jumala Julki Ijaiste Jacacon Ilo
Uscan Ulialle Urboll' Wirialle Winballe Weicol!
Suomikin Saocan Sit' Sinul Suosio-Sanoma Suloiht!

Toivotta
GREGORIUS A. HALLENIVS.
Seb. Cant. Ab. Collega secundus.



I. N. J.

§. I.

Qui de consensu rationis & fidei nonnulla commentari proposui, apprimè duxi necessarium in ipsa vocabula, quibus institutum designatur, inquirere; idque eo diligentius, quo certius novimus, non pauca sententiarum divortia, imò litigia, etiam circa substratam materiam, oborta esse ex vocum terminorumque notionibus vagis ac indeterminatis. Per rationem itaque, accepta voce in quadam latitudine, hic intelligimus, non solum facultatem hominis cognoscendi veritates per naturam intelligibiles, sed ipsas quoque doctrinas a lumine naturali profectas. Harum namque in sequenti tractatione cum revelatis frequentis instituetur comparatio. Abstinemus autem

A

tena

2
tem de industria definitione Leibnitii & Wolfii, quæ ratio dicitur esse *facultas nexum veritatum perspiciendi*, aut *ipse nexus veritatum*. Hæc enim definitio iusto strictior nobis videtur; multæ quippe dantur veritates naturales, quarum, & inter se, & cum aliis nexum non adsequimur. Sed ne quis objiciat, vocem naturæ, seu *πελύσημον*, parum recte a nobis adhibitam esse, obiter monemus, quod per naturam cognosci nostro atque communi usu dicuntur ea, quæ vires intellectus humani non excedunt, sed quæ mens vel a principiis in se evidentibus, per legitimas conclusiones demonstrare, vel per experientiam investigare & percipere valet. Atque circa hæc duo cognitionis principia rationem versari statuimus; præcipue cum id extra aleam dubitationis positum sit, pauca admodum ex solis principis per se manifestis, sive a priori, nexu quodam & serie deduci posse, multas autem imo plurimas veritates intelligi per experientiam. Quid multis? Rationem esse facultatem a sensibus inchoatam eorum tutius asserimus, quo certius constat, eorum omnium, quæ aut in ipsa mente peraguntur, aut

3
aut quæ extra eandem sunt & fiunt, representationes a sensibus tam externis quam internis pendere, ut verissimum sit, nihil esse in intellectu, quod non prius erat in sensu. Recte quoque Werulamius. *Res, inquit, omnes existentes per experientiam cognoscimus, quarum notitias duntaxat sparsas habemus* *. Sumimus hic sine ulteriori probatione multa per naturam vere cognosci, adcoque & veritatem dari, quæ *etsi in alto sapissime involuta*, ut loquitur Seneca, cognitu tamen haudquaquam est impossibilis. Parum itaque moramur sententiam Scepticorum, nihil omnino sciri affirmantium, quorum stultitia adeo est manifesta, ut refutatione indigna videatur. Veritas autem, circa quam ratio occupatur, non certe unius generis est, quod etiam Leibnitius probe notavit **. Aliæ quippe veritates ita sunt comparatæ, ut oppositum earum impossibilitatem & absolutam contradictionem involvat. Aliæ vero dantur tales, ut & aliter esse possint, in quantum nimirum id, cui ipsæ insunt, mutationem admittit.

A 2

* *Serm. fidel. de veritat.*

** *Dissertat. Theod. præmis.*

Un-

4 Unde & hæc contingentes, illæ vero necessaria & æterna dicuntur.

§. II.

Veritates a DEO hominibus revelatas, & facultatem veritatibus hisce assensum præbendam fidem appellamus. Patet hæc definitio tam late, ut comprehendat omnem ambitum revelationis Divinæ, quocumque tempore ac modo factæ. De possibilitate autem revelationis non multum hic disquirimus: quippe quæ evidens omnino est ex perfectionibus Summi Nominis, præcipue ex infinita ejus sapientia & bonitate, quæ non potuit non velle, ut homines per declarationem Sui Ipsius voluntatisque Sux perfectam, summam, cujus sunt capaces, felicitatis participes redderentur. Neque nostrum jam est probare veritatem Scripturæ Sacræ, tanquam a DEO profectæ; quam veram & genuinam revelationem esse, plurima illa criteria, quæ in ipsam quadrant, satis evincunt. Sic etiam sumimus, non dum quidem probatum, sed in sequentibus rite probandum, quædam dogmata & veritates revelatione contineri, quæ ex natura etiam constant, & ex principiis ratio-

5 tionis deduci possunt. Circa hæc vero ratio & fides majori gradu consentiunt, ita ut propositiones, quas veras esse una affirmat, altera quoque altera, & quas negat una, altera quoque neget. Sumimus denique multa a DEO esse patefacta, quæ spheram & caput rationis transcendunt, quorumque existentiam & connexionem ratio prorsus ignorat: Et in his ratio & fides minori gradu concordant; ita nimirum, ut ubi altera quid affirmat vel negat, id altera per se affirmare vel negare non possit, contrarium vero non adstruat, sed potius judicium suspendat, & causam ad proprium forum remittat. Atque hoc est, quod, qui revelationem admittunt, latentur omnes, & inter præcipuos ejus characteres referunt, hanc nimirum ejusmodi continere quæ modo naturali cognosci minime possunt, adeoque mysteria supra rationem esse, quamvis non sint contra eandem*. Peccant igitur

* Joeckerus de Obice Hæres. Constat nos mysteria neutiquam e religione tollere posse; cum nihil aliud defendimus quam istud: rationem nihil, quod secum in mysteriis, nihil, quod

6
igitur ambo, qui vel imperium rationis nimis longe extendunt, & eo usque propagatum cupiunt, ut vel ipsa Sacra Scriptura ad eam, tanquam legem & normam exigatur, nihil probaturi, quod cum rationis axiomatibus non consentiat, vel qui rationem plus justo coarctant, eamque veluti mysteriis DEI iniquam damnant & proscribunt, ac nihil prorsus cum veritatibus fidei eam commercii habere voluat.

§. III.

EXplicata sic genuina rationis & fidei notione, statim ad institutum accedimus, utri-

cum evidentibus natura principis pugnet, deprehendere; etsi utraque manu largiamur, multa in iis occurrere, quae ejus captum longissime transcendunt, neque ab ea capi penitus possunt. Tantum abest, ut hoc philosophus neget, ut potius inter revelationis genuina criteria hoc connumeret, eam talia continere, quae homines recto rationis usu assequi nequeunt: cum DEUS nihil frustra agit, quod utique acturus, si revelationem mysteriis non distingueret ac illustraret.

triusque inter se consensum pro parte virili adstructuri. Primum autem argumentum ex ipsa natura veritatis desumimus. Vera dicitur propositio quavis, cujus praedicatum subiecto absolute vel sub certa conditione convenit; sin vero minus, falsa. Nulla itaque vera alteri atque vera potest esse contraria. Nam alioquin idem simul esset verum & falsum, quod contradictionem implicat. Propositiones autem per naturam cognitae pariter ac revelatae verae sunt §. I. unde per se patet, dogmata, quae rationis fundamentis innituntur, cum revelatione constringere non posse. Apparet itaque hinc, veritates rationis, neque necessarias, neque contingentes rebus a Deo revelatis ullo modo repugnare. Quod vero illas attinet, eo minus contradictio quaedam locum obtinet; quia per necessitatem ipsis propriam oppositum quodvis absolute excludunt. Atque, quum ne divina quidem omnipotentia ad ea, quae in se & absolute sunt impossibilia se extendat, evidens est, neque a DEO quidquam potuisse revelari, quod veritatibus hisce non consentiat. Sed veritatum contingentium diversa est ratio. Nam
quem

8
quemadmodum oppositum earum non in se,
sed certa tantum conditione est impossibile,
ita fieri aliquando potest, ut sub conditione
diversa per sua principia adstruat ratio, quod
revelatio negat, & vice versa; quæ proinde
non vera est, sed apparens duntaxat contra-
dictio. Ad veram enim contradictionem requi-
ritur, ut non solum idem sit subjectum &
predicatum in utraque propositione, sed ea-
dem quoque conditiones *. Sic propositioni ad-
convertem naturæ ordinem restrictæ non adver-
satur illa, quæ naturam, hoc vel isto casu,
præscriptis sibi regulis solutam esse affirmat.
Hinc igitur patet, quæ mens fuit quorundam
Theo.

* Vid. Leibnit. l. c. Aut ea, quæ a ratione possunt
obverti revelationis dogmatibus invicta de-
monstratione nituntur, aut non. Si prius,
veritas veritati esset contraria, nam quidquid
demonstratione fundatur certa, veritas est æ-
terna, nullibi obnoxia dispensationi. Si po-
sterius autem eveniat, probabilis tantum est ra-
tionis revelationi opposita obiectio. Atque e-
jusmodi argumenta nihil adversus fidem pro-
ficiunt.

9
Theologorum, qui veritatem aliquam rationis fi-
dei inimicam subinde esse judicaverint. Nam
si res probe perpendatur, apparebit, nomine
veritatis, a ratione profectæ, illud solum ab iis
intellectum fuisse, quod juxta ordinatum na-
turæ cursum evenire solet **.

§.IV.

Rationem cum fide consentire inde ulterius
probatur, quia omnis veritas est a Deo.
Quod revelationem attinet, de sublimi ejus
origine, vel ideo dubitari nequit; quia quod
Deus revelavit, non potest non esse a Deo. I-
dem etiam de ratione valet. Nam veritas
quævis naturalis, objective considerata, est in
rebus ipsis. Res autem omnes sunt a DEO.
Quidquid enim præter DEUM existit, est fini-
tum atque contingens, adeoque non a se, sed
ab alio, ente nimirum infinito, h. e. DEO.
Præterea, quod entia finita nihil ex se ipsis
habent, inde recte quoque concluditur, fa-
cul-

B
** Dixit Lutherus, secundum philosophiam fieri
non posse, ut verbum caro fiat. Assent et-
iam, quod in Physica verum est, in Ethica
falsum esse posse.

cultatem hominis veritatem in rebus latentem eruendi, sive ipsam rationem divinitus esse concessam. Quare & ipsa cognitio, quam hunc modo assequimur, non aliter ac donum quoddam divinum aestimari debet. Ob easdem rationes, quidquid veritatis & olim erat & adhuc est apud gentiles, vel in libris eorum invenitur, ut munus divinum spectandum est. Quid quod Paulus Rom. I. asserere non dubitet, DEUM gentilibus veritatem naturalem revelasse. Quum itaque DEUS sit ens perfectissimum, omnisque veritatis fons & principium, adeoque sibiipsum contradictorius esse nequeat, sequitur, nihil, nisi amicissima harmonia contemplatarum ab eo proficisci, veritatemque ideo revelatam rationi non contradicere posse, & vice versa. Præclare Augustinus: *Absit, inquit, ut hoc in nobis DEUS oderit, in quo reliquos animalibus excellentiores creavit.**

§. V.

Contentus hic specialius probatur, ubi veritates rationis cum veritatibus revelatis con-

* *Epist. ad Consent.*

conferuntur. Dari Ens aliquod infinitum, Deumque adeo existere ratio asserit; & nemo sane mentis idem negare audeat, qui dum mundum huncce adspectabilem intuetur, ipsumque nonnisi contingenter existere, rationemque adeo existentia suæ non in se ipso habere deprehendit, non potest non admittere, quod detur ejusmodi Ens, cui originem suam debeat, idque necessarium, infinitum, a se, & sui ipsius rationem in se continens. Docet hoc ipsa revelatio cumulate, & Paulus Rom. I. v. 20. ex hac contemplatione rerum, quæ sensibus obveriantur, argumentatur, non modo DEUM existere, verum etiam excusationem nulli genti superesse, quo minus DEUM agnoscat, qui in operibus suis tot tamque manifesta Divinitatis vestigia reliquit. Sed ratio ulterius progressa ex affectionibus Entis necessarii & infiniti ad maximas Summi Numinis perfectiones concludit. Inprimis ex idea necessarii adstruit, DEUM æternum & absolute primum ac ultimum esse. Atque sic hac in parte non dissentit a revelatione, quæ ante omnia tempora suis.

12
omnia tempora fuisse DEUM affirmat; & qui ipse faterur se esse a & ω. sive entium omnium primum ac ultimum. Ratio porro per experientiam, & quando compagem hujus universi mirifice fabricatam, una cum connexiono rerum per causas efficientes & finales debita cum attentione intruetur, deprehendit insignia valde supremæ sapientiæ documenta; intert itaque DEUM esse sapientissimum, qui & intellectu gaudet maximo & possibile omnia distincte cognoscit; unde & omniscientiam divinam statuit atque præscientiam, talem tamque late patentem, quæ cognitionem præteritorum præsentium & post multa demum secula futurorum in se comprehendit; imo scrutationem abstrusissimorum, etiam in ipsis hominum liberis decernit & intimis cordis recessibus jacentium DEO tribuit; quemadmodum & hoc Seneca adgnoscat*. Adstruit hoc idem revelatio, ubi sapius DEUM
Spi-

*Numini operis sui series universa nota, omnium rerum per manus ejus futurarum scientia illi semper in aperto, & quæ repentina putamus, ipsi provisæ sunt ac familiaria. Libr. IV. de benef.

13
Spiritu infinitæ sapientiæ nuncupat, & Paulus Rom. XI. v. 33. 34. neminem *in seipso* sive recondita eius judicia perspexisse faterur, maxima juxta commotus admiratione, dum sapientiæ divinæ divitias & profunditatem intuebatur, impervestigabiles plane vias Domini esse declarans. Est præterea Deus juxta S. Scripturam lux omniscia, gnara & præteriti, & præsentis atque futuri, quæ tamen oculo divino semper sunt obvia. Prædicatur etiam de hac luce, quod sit purissima, omnis erroris expers; certissima, sine ulla formidine oppositi; immutabilis & constans; accuratissima, ad cordis usque intima sese extendens. Voluntatem pariter ratio vindicat DEO, ente supremo dignam, quæ is, tum quoad semetipsum fertur in quodvis bonum, pro exacta tamen & certa bonitatis mensura, ita ut majus bonum semper præferat minori, malum vero prorsus aversetur; tum creaturis tantum perfectionis ac boni confert, quantum unquam in illas cadere, & ipse salvis suis perfectionibus conferre potest: unde & ex hac propensione DEI ad felicitatem creatura-

14
turarum promovendam eo tutius colligit DEUM esse summe bonum, & cum ex se ipsis entia finita nihil habeant, originem omnis boni ab ipso derivandam: quare etiam videt, quod in relatione ad DEUM nihil bonum nec quisquam bonus dici possit. Hinc vero tuto asserit varii & multiplicis illius mali, quod in mundum irrepsit, DEUM neutiquam esse auctorem, verum id omne, cujuscunque sit generis, aliunde & ex proprio creaturarum fundo provenire; novit nimirum ratio sapientiae summae ac infinitae esse conveniens, ex praesentis mundi systemate mala omnia non tollere. Et ipsae res creatae, quibus natura earum finita perpetuas limitationes imposuit, id sibi quasi proprium habent, quod defectum alicujus perfectionis in se admittant. Pari modo ratio circa malum, quod in actionibus hominum, & quidem liberis saepius prohi dolor! deprehenditur, DEO ejusque bonitate indignam nihil statuit. Originem quidem hujus mali, quae est res facti praeterita, ignorat; causam vero ejus, quatenus a miseris mortalibus jam patrat, rite asseritur, eandemque ponit partim in intellectu, qui igno-

15
ignorantiae tenebris obseptus, actionum moralitatem aliquando non perspicit; unde non potest non fieri, ut a norma earum homo deflectat; partim in voluntate, dum libertatem a DEO clementissime concessam hominibus perverse exercet, & quidem haud raro saniora edocuit; voluntate enim nimis existente languida, ad actiones, quas impetu affectuum urgente, bonas reputat, sese determinat, a vero sic bono abhorrens, juxta Poetae. . . *Video meliora proboque, deteriora sequor.* Sed neque ratio DEUM ideo causam mali statuit, quod potentia hae libertate sua abutendi homini adhaeret; inest quippe haec ipsi necessario, nec salva ejus essentia tolli potest. Neque ex dictamine rationis permissio abusus libertatis humanae bonitati divinae repugnat; cum sapientiae divinae convenientius judicari debeat malum permittere, dum inde bonum longe majus elici potest, quam resultantem fortassis graviori incommodo idem impedire. Loquitur haec eadem revelatio, & innumera S. Scripturae loca de voluntate Summi Numinis in optimum quodvis ferente, pariter

ac bonitate immenta testantur. Sanctitas Eius in voluntate elucet ex seruis illis admonitionibus, quæ exstant in sacris literis, ut pravis actionibus homines desistant; quippe quæ DEO quam maxime displiceant. Atque hinc revelatio juxta affirmat, causam mali & peccati in DEO nullo pacto esse querendam, potius vero hanc ex eodem fonte, quo ratio, protrahit. Ipsum autem factum, quo primum peccatum, abusu nempe libertatis primorum hominum, in mundum fuit introductum, expresse admodum explicat. De permissione vero mali non aliter loquuntur doctrinæ coelestis propugnatores, quam eandem ratio proponit; fundamentum nempe ejus querunt, tum in libertate arbitrii, quæ creaturæ rationali essentialis est, tum in infinita DEI potentia & sapientia, qua ex malo bonum elicere potest **. In primis ratio experimentis, tantum non infinitis discit, mundum providentia DEI regi, curam omnium rerum, etiam earum, quæ abjectissimæ sapius videntur ab ipso geri, ita ut cum entia creata ipsa sese nequeant conservare, in perle-

** Confr. Jag: de provid: Div.

verantia existentia & vi sua activa a Deo sustententur; adeoque Ipsum ad singulas naturæ & creaturarum actiones per conservationem clementissime concurrere, omniaque directione sua ad certum bonumque finem dirigere. Continet hoc idem revelatio, quæ sine providentia summi Numinis nihil unquam in universo fieri affirmat, Ipsum juxta Dominum omnium rerum potentissimum declarans Act. XVII. v. 24. 25. Matth. X. v. 29 Tandem & in eo ratio & fides consentiunt, quod immortalitatem animæ humanæ ambæ adstruant: illa quidem nonnisi probabiliter, rationibus nempe desumptis a simplicitate & inde sequenti immunitate ab interitu naturali, atque detectu rationis sufficientis, cur per miraculum anima annihilaretur; hæc vero indubiam plane & certam eam reddit, dum & ipsum statum, in quo animæ post hanc vitam versabuntur expresse describit. Quid? quod demonstrari possit consensus totius Theologiæ naturalis cum revelatione, quod haud infelici successu Christianus Wolffius præstitit.

§. VI.

UBi ad Doctrinam Moralem accedimus, eadem facilitate probatur illi convenire cum re-

C

20
velatione Et quod ipsa principia attinet, illico
in his concordia quaedam occurrit. Ex jure na-
tura homo actiones suas liberas dirigere debet
ad sui perfectionem, adeoque eas determinare
per rationes finales easdem, per quas determi-
nantur naturales seu necessariae, rationibus hisce
ab ipsa hominis natura & essentia petitis. Sal-
vator autem *Matth. V. v.48.* jubet nos esse
perfectos, sicut & Pater noster coelestis perfe-
ctus est; adeoque injungit, ut in determinan-
dis actionibus imitemur Patrem coelestem, cui
tanquam causae primae existentiam nostram ac-
ceptam ferre debemus. Cum vero fieri non
possit, ut a DEO quidquam committatur essen-
tiae & attributis ejus contrarium; per se patet,
homines quoque nihil committere debere, quod
essentiae eorundem repugnat; unde & rationes
actionum determinandarum juxta mentem Chri-
sti ab essentia & natura humana desumantur o-
portet. Et quemadmodum homini incumbit di-
rectio actionum suarum ad perfectionem sui, ita
& nihil eorum, quae huic fini intersunt, in-
termittere convenit. Cum vero ex scitis legis
naturae constet, perfectionem hanc minus recte ob-
tinere,

19
tineri, nisi officia erga DEUM rite observen-
tur, & ex attributis divinis motiva actionum
desumantur, Philosophia moralis hominem ad
officia erga DEUM praestanda omnium primum
obligat. Et quoniam evidens est, ea nullo pa-
cto posse exerceri, nisi ex Theologia naturali
homini antea innotescat, quoniam attributa &
perfectiones DEO competunt, sollicito admo-
dum commendat cognitionem DEI; quae officii-
orum hujus generis, tanquam primum ac fir-
missimum fundamentum est consideranda. Urget
juxta morum doctrinam notitiam hanc, non mo-
do veram esse debere, & a vanis atque errone-
is de DEO opinionibus immunem, verum &
quam maxime efficacem, ut sit homini moti-
vum sponte ac libenter officia, quae DEO debent,
exsequendi. Hinc quemadmodum Theologia
naturalis adstruit DEUM esse Ens summum, in-
dependens & infinitum, Auctorem juxta hujus
universi ac Moderatorem sapientissimum; ita ex
Philosophia morali homini incumbit perfectiones
divinas pie sancteque admirari, majestatem Dei
atque potentiam submissa veneratione colere, I-
plumque rebus creatis singulis praeferre & super
omnia

omnia extollere. Porro ex Theologia naturali constat, DEUM esse summe bonum, & quidquid boni rebus inest, imo & ipsi homini, quoad animam & corpus, originem suam a DEO repetere; DEUM omnia bona sapientiae suae conferre, dum providentia sua mundum regit & res creatas in suo statu conservat; Ipsum mala & adversitates clementissime avertere, imo & malum morale contra malignorum intentionem tandem ad bonum finem dirigere. Philosophia moralis inde concludit DEUM super omnia diligere, ita nimirum ut amor in DEUM cum timore filiali & proposito nihil unquam committendi, quod ipsi displiceat sit conjunctus; in eo solo esse acquiescendum: spem atque fiduciam ita in ipso ponendam, ut homo tranquillo & patienti animo bonum venturum expectet; voluntati Numinis ita in omnibus esse obtemperandum, ut nostram voluntatem nostrasque cupiditates ipsi subiciamus; ut quisque sua sorte sit contentus, nec plus aut aliud quidquam appetat, quam quod ipsi DEUS sapientissime decrevit. Denique vero com-

men.

mendat Philosophia moralis sedulam Numinis invocationem, ut ne largam benignitatis suae manum unquam detrahat, & pro jam praestitis beneficiis animum gratum, actionibus, tam internis, quam externis, vult pie declarandum. Sed haec omnia urget etiam Theologia moralis. DEUM cognosci debere omnium primum proponit, & quidem tum quia essentiam & attributa, tum quam maxime quia opera, quae partim in regno naturae, partim in regno gratiae admodum sunt conspicua. Hanc vero de DEO cognitionem veram & efficacem juxta desiderat; quum ipsa indoles cognitionis atque scientiae in spiritualibus requirat, ut indissolubili vinculo cum praxi vitae sit connexa; oportet enim ἐπίγνωσις τῆς ἀληθείας sit καὶ ἐνοσίθεσιν, & quidem ἐπὶ ἐλπίδι ζωῆς αἰωνίου Tit. I. v. I. 1. Tim. VI. v. 3. Atque officium hoc DEUM cognoscendi eo magis hominibus curae cordique esse debere Apostolus Paulus judicat, quia propterea mortales terram colunt, ut quaerant Dominum, an contingere eum detur, non longe ab unoquoque nostrum remotum. Act. XVII. v. 27. Ostendit porro Theologia moralis esse officium hominis DE-

22
DEUM ex imo pectore, tota mente & ani-
ma amare, non solum propter bonitatem eius
in regno naturæ se exerentem, sed præcipue
propter summam illam benivolentiam, opere
redemptionis generi humano collatam, quæ non
potest non, imo & debet hominem iuxta com-
movere, ut in DEO omnem quærat beatitudi-
nem, Ipsumque sicut summum bonum & fon-
tem atque principium omnis suæ felicitati-
amplēctatur. Huc etiam pertinet, quod ad a-
morem huncce in DEUM ex lege divina obli-
gamur, præcipue vero ex ipso fine juris divini,
quia ad unionem nostram cum DEO & imagi-
nis divinæ restorationem amore hoc nihil est
efficacius. Excitatur insuper homo in Theolo-
gia morali ad studium præcepta divina sancte
servandi, & quidem ex meru filiali, motiva
pariter ex unione cum DEO desuntis. Qui e-
nim societatis hujus divinæ particeps erit, hic
neesse omnino habet peccata quævis diligenter
vitare. Spem & fiduciam in DEO ponendam
eo efficacius commendat Theologia Moralis,
quo clarius docet, DEO nihil gratius esse spe
atque fiducia in ipso collocata; quæ magnam
quo.

23
quoque partem honoris DEO exhibendi absol-
vit. Ad preces denique fundendas Lex divina
nos obligat, quia sunt militiæ Christianæ subsi-
dium præcipuum, quo cetera omnia juxta pro-
missum divinum impetrantur. Oportet itaque
ex præcepto DEI, Ipsum supplices compellemus,
ut mala imminenti a nobis clementissime aver-
tat, bona vero desiderata, nobisque condu-
bilia gratia sua conferat; & quando voti com-
potes facti sumus, par est ut gratias submis-
se atque sincere DEO agamus. *Psal. L. v. 15.*
Eph. V. v. 19. 20. Sed ratio in doctrina Morali
ulterius progressa animadvertit, hominem ex
lege, quæ ad perfectionem sui obligatur, neque
officiis in se ipsum ullo modo deesse debere;
injungit itaque homini primum notitiam sui ipsius,
& quidem animæ, corporis & status sui externi,
quo deinde judicium facilius fiat de actionibus,
quæ aut ad perfectionem ejus tendunt, aut ei-
dem contrariantur secundum illud: τὸ γινῶσι σαυ-
τοῦ, πανταχῶς ἐν χριστῷ. Dehinc vero, & post-
quam innumeris defectibus sese laborare
homo d'prehendit, juxta dictamen rationis
oportet, ut intellectus, prior illa animæ facultas,
quoad

quoad fieri potest rite perficiatur, ut spissa ignorantiae nebula dispellatur, & cognitio rerum, saltem earum, quibus in bono a malo discernendo maxime opus est, illi succedat; atque ut hoc eo felicius fiat, reliquae etiam ad intellectum spectantes animae dotes, attentio, profunditas atque acumen augeri & ad maiorem perfectionis gradum evahi debent. Hisce afficiuntur, quae inculcat revelatio, ubi docet notitiam sui ipsius & status miserissimi, in quo constitutus est homo, admodum ei esse necessariam & quidem ipsam emendationis principium. Quod autem Theologia moralis tradit de intellectu perficiendo, id potissimum res spirituales respicit, in quarum notitia & experientia homini Christiano magis magisque est proficiendum. Neque periculum est, ne vires naturales & scientia, per illas adquirenda per gratiam opprimantur, quin potius eleventur confirmanturque. Praeterea ad prudentiam Christianam, in omni negotio & opere observandam, plurimum conducit intellectum habere bene excultum; unde Paulus I. Cor. XIV. v. 20. *ἀδελφοὶ οὐκ ἐπαύσασθε τῶν φωνῶν, ἀλλὰ τῆς νουθεσίας τοῦ κυρίου, ἵνα ἡμεῖς ἡλικιωμένοι ἴνα ἡμεῖς ἡλικιωμένοι*

ἀλλὰ τῆς νουθεσίας τοῦ κυρίου. Exigit ulterius ratio, ut voluntas, quae a natura determinata est ad bonum appetendum, malam vero averſandum eo per debitam curam adducatur, ut nihil, nisi vere bonum appetat & nonnisi vera mala averſetur: atque cum appetitus hominis sensitivus in bonum tantummodo apparens feratur, curandum est, ut idem cum rationali amice conspiret; adeoque etiam affectus rationis imperio subjiciantur. Praecipit hoc idem Theologia moralis; ut prona nimirum & facilis sit voluntas ad omne verum bonum, praesertim vero spirituale appetendum & sectandum. Nec alia doctrina sollicitè magis urgeat, cupiditates quaslibet exorbitantes coercendas, frangendas & quantum fieri potest eradicandas esse; quin etiam affectus in ordinem cogendos, ne extra limites, a lege divina praescriptos, erumpant. Verum ex scitis Philosophiae moralis corpori etiam obligatur homo officii satisfacere, debitam ejus curam gerere, idem nec vitae periculis sine necessitate exponere, neque, quod sanitati ejus officit & iacturam ipsi minatur, ullo modo committere. Unde & porro sequitur, quemadmodum corpus ad sustenta-

tionem sui nutrimento eget, hominis quoque esse prospicere, ut neque alimenta necessaria deficiant, neque modus in iis capiendis vitiose excedatur. Obstringit Theologia moralis non ad hæc eadem officia corpori præstanda; unde & corpus cibo & potu congruo refici jubet, juxta tamen habita temperantiæ ratione, ut ne sagina corporis inordinati animi morus excitentur ac foveantur *Rom. XIII. v. 14.* Et quoniam sic homini ad legem naturæ viventi corporis & animæ cura gerenda est, convenit etiam iis, quæ huc spectant, comparandis operam dare; atque cum hoc sine labore & molestia fieri vix possit, per se patet, cuique laborandum, nemini vero otium esse. Neque tamen ratio probat avaritiam, quippe quæ animi tranquillitatem tollat & plurima progignat mala. Idem revelatio urget, ad vitæ necessaria comparanda pariter ac legitime dispensanda nos obligans *I. Cor. VII. v. 29, 30, 31.* Ingnaviam vero ac negligentiam, quam inopiam omnium rerum, dedecus & plura incommoda sequuntur, plane proscribit. Damnat eadem

ava-

avaritiam, & quidem hæc præcipue ob causam, quod hominem a Creatore ad res creatas avertat; quare & ipsam idololatriæ haud immerito annumerat *Eph. V. v. 5.* De honore denique, qui est comes quidam veræ perfectionis ratio & fides idem sentiunt. Illa cuique mandat se dignum honore præstare; negat autem cum per se appeti debere, quum non sit in potestate ejus, qui eodem afficitur, verum a quo ipsi defertur: fides vero dignitates atque honores, qui cum certis muneribus conjunguntur, ideo admittit, quia partem ordinis, in rebus humanis maxime necessarii absolvunt; unde & usum eorum cum Ecclesiæ aut Reipublicæ salute ac fine, in quem sunt introducti conjunctum postulat, fastum atque superbiam exulare jubens. Tandem & Philosophia moralis adstruit, actiones hominis etiam ad perfectionem aliorum esse determinandas. Oportet itaque, imo ex obligatione legis naturæ fuit, ut quæ nobismetipsis officia debemus, aliis etiam assidue exhibeamus; unde & porro manifestum est, neminem esse lædendum quoad vitam, famam & bona; & si quid damni, quod

D 2

cvi.

28
evitari poterat, alteri datum fuerit, illud
statim esse retarciendum. Quod si vero con-
tigerit, ut nobis damnum intentetur, illud
vel cum latione alterius juste declinare
licet, legis nimirum, de altero non lædendo,
obligatione cessante, quando hic nobis da-
mnum minatur cum vitæ, famæ, aut rei, præ-
sertim haud reparabilis discrimine conexum.
Non dissentit revelatio, quæ summam officio-
rum in alios ponit in amore proximi. Atque
hinc etiam lege divina severissime prohibemur a
lacione & injuriis alteri interendis, cum
quibus amor nulla ratione consistere potest; ita,
ut, ne vel cogitatione aut affectu, ne dum veri-
tatem aut factis alterum violare liceat. Quod si con-
tigerit, ut a nobis damnum in alterum redun-
daverit, par est, ut non modo justa damni repa-
ratio detur, verum etiam reconciliatio & venia
mali commisi experatur. *Matth. V. v. 23. 24.* Hoc
vero præceptum non eo usque patet, ut juxta
defensionem sui juris omnem excludat, verum
potius nihil statuit a ratione alienum. Neque
enim DEUS hominem ad ea obligat, quæ com-
mu-

19
muni omnium animantium instinctui repugnant,
ut ne ullam propriæ salutis rationem habeat.
Neque regula ista a Salvatore *Matth. V. v. 39.*
tradita de injuriis patienter ferendis dictamini ra-
tionis quidquam adversum continet eo, quod ma-
lo resistere vetat, quum vel ex ipso verborum
conexione appareat, omnem hic esse sermonem
de vindicta per legem rationis ac propria
manu sumenda, & cum odio in alterum conjun-
cta; quam & ipsa lex naturæ proscribit, ani-
mum exigens ab omni ejusmodi adfectu vacuum,
& amorem ad ipsos quoque inimicos extendens.
Ratio etiam pronunciat, omnes homines pro
æqualibus esse habendos. Nam & revera o-
mnes natura æquales sunt, nec quisquam alte-
ro plus aut minus iuris natura possidere concipi
cipi potest. Dictum confirmat revelatio omnes ex
uno sanguine homines factos, & Christianos per fi-
dem membra unius corporis esse docens; unde &
neque *προσωποληψίαν Jac. II. v. 1. 2. 3.* & contem-
tum aliorum approbat, potius vero cuique injun-
git alterum seipso majorem credere *Phil. II. v. 3. 4.*
Est quoque legi naturæ admodum conveniens, ut
pa-

pa^{ca} atq; promissa sancte serventur; praesertim quoniam ipsa consociatio humana magnam partem hinc pendear, & quibus indigemus, ea pa^{ca} praecipue adquirantur. A Christianis pariter requiritur, ut in pa^{ca} atq; promissis fidem ne frangant, perfidia quippe cum sinceritate amoris consistere nequit. Nec dissentit ratio a fide in iis, quae circa statum conjugii, non quae in statu paterno, non denique, quae circa herilem sunt observanda; & consensus hic facilis esset probatur, nisi jam ad reliqua foret properandum.

§. VII.

Regulae quoque saniores de republica rite administranda atq; officia Imperantium & subditorum cum revelatione optime consentiunt. Constat ex principiis verae politicae ad salutem & commodum reipublicae pariter ac finem ejus legitimum plurimum facere, si summi imperantes populi salutem sibi ut supremam legem propositam habeant, si ad animum sibi semper revocent, se in fulcrum & praesidium honorum, in terrorem vero omnis perversi & maligni constitutos, si denique cogitent, se non

non homines solum esse, sed hominibus etiam praesse, & se propter populum, hunc non propter ipsos esse, contra illud Caesaris apud Lucanum.

*Nunquam sic cura Deorum
Se premit, ut vestra morti vestraque saluti
Fata vacent, procerum motus hac cuncta sequuntur.*

Humanum paucis vivit genus Conspirat cum illis religio Christiana, quae in genere praecipit, ut quisque officium suum omni diligentia & assiduitate exsequatur; siquidem haud minima pars officii, quod DEO debemus hoc vertitur cardine; & praeterea omnes homines ad tribunal divinum docet sistendos, ubi non erit respectus personarum, sed quilibet, juxta quod vivens egerit accipiet. Ad salutem porro & incolumitatem reipublicae ex scitis politicae id etiam pertinet, ut cives vicissim Rectores civitatum amore amplectentur, eosque tanquam Patres patriae ex quorum cura & industria publica salus pender, venerentur; fidemque & obsequium illis praestent. Agit hoc idem revelatio, quippe quae expresse doceat

ma-

32
magistratus esse a DEO ipsiusque ministros,
quibus non est resistendum, ut ne ordinationi
divinae resistatur, potius vero obtemperandum,
non solum propter iram & poenam civilem,
sed praecipue ad declinandam poenam iudicis
divini Rom. XIII. Vera quoque politica urget,
& circa illud admodum est sollicita, ut con-
cordes in civitate se praebant singuli, inju-
riis abhorreant, reciproca vero humanitate &
quovis beneficiorum genere se invicem exci-
pant. Atque in hunc finem poenas & prae-
mia in civitatem introducta deprehendimus, ut,
quando interna actionum honestas & turpitude
apud homines non valuerit, ad eos in officio
continendum, obligationi naturali prae-
miis & poenis civilibus vis ac robor accedat. Atque
in hoc momento religio Christiana verae politi-
cae, non modo quam maxime concors est, ve-
rum etiam usum quendam praecipuum & singu-
larem ipsi praestat. Obligatio quippe legis civi-
lis, per constitutionem poenarum introducta, ho-
minis maligni pravitatem nequaquam corrigit,
sed eam duntaxat paulisper reprimit, & co-
actam solum efficit actionum cum lege conve-
nien-

33
nientiam, quae, quotiescunque libido & oc-
cassio impune peccandi invitat, illico evanescit;
gratia vero, quae religionem Christianam &
eos, qui eam in pectus rite demiserunt, comi-
tatur, probitati multo utique firmiter prae-
sidium addit, animos fidelium ita divino auxilio
sublevans, ut sponte atque lubenter vitia fugi-
ant, honesta vero perficiant, etiam nullo poe-
nae & emolumentum temporalis respectu habito,
verum ex amore & reverentia in DEUM, cui
obsequium cupiunt praestare. Accedit, quod
leges civiles crassius circa vitia reprimenda ver-
santur, & magnam partem eorum dimittunt
plane impunitam, seu quae contra jus imper-
fectum committuntur; quorum in numerum
haec veniunt: officia humanitatis, misericordiae
& benevolentiae aliquando negligere; officia
in se collata ingrato animo excipere; super-
bia & fastu sese efferre; per sollicita-
tiones, ex quibus actio non datur, alteri illu-
dere; vindictae libidine ardere; avaritiae indul-
gere, & plura alia ejusdem generis, ob quae non
datur actio in foro humano. Sed haec omnia
castigantur per fidem & religionem Christia-
nam

34
nam, quæ quam maxime urget internam
dis puritatem & compositos cupidinum affectuum
q; motus, externorum tantum & crassiorum
uorum abstinentia haud contenta. Nec pecca-
tum ullum ei videtur minoris ponderis aut con-
sequentiæ, sed rationem etiam verbi cuius
otiosi vult esse reddendam. Neque illi sufficit
inuriis & læsione sese abstinere, sed iniungit
quoque per eandem beneficentia, humanitas &
quodvis officiorum genus exhibendum, etiam
ubi spes remunerationis nulla apparet. Nec denique
q; solum prohibet, alteri sua eripere, & per da-
mnum alterius suum commodum augere, sed
etiam inter vetita habet, per innoxia & quo-
cunque modo avaritiæ litare. *S. præc:* Quod
ad virtutem bellicam attinet, eam quo-
que Doctrina politica exigit. Finis quippe
reipublicæ postulat, ut ab iniuriis etiam exte-
riorum & insultibus tuti ac securi cives
degant; quod ipsum alio modo fieri non potest,
quam ut in armis bene exercitati, & ad
pericula imminencia fortiter repellenda, hostem-
que irruentem strenue profligandum iidem apti
paratique reddantur. Verum non facile appa-
ret

35
ret, quomodo hoc cum religione Christiana
conspiret, & locum possit invenire apud eos,
quibus ex doctrina fidei, non solum omnis
vindicta est prohibita, *S. præc.* verum etiam,
condonatio injuriarum & dilectio inimico-
rum tantopere commendata. Non unquam
negandum, quin si omnes homines juxta
præcepta divina vitam instituerent, bel-
lo, adeoque virtuti bellicæ nullus plane locus
superesset; at quum haud pauci, etiam inter
Christianos sint, qui, quamvis ore profite-
antur veram fidem, ducti tamen libidine ha-
bendi dominandique in bella injusta rapiantur,
sas omnino est vitam fortunasque, vim
vi repellendo tueri. Et quemadmodum religio
Christiana salutem & incolumitatem reipublicæ
non improbat, ita, quæ huc omnino perti-
nent media, permittere censetur. Præterea
ubi *S:* Scriptura de injuriis patienter ferendis
præcipit, non de justa & æqua sui defensione
loquitur, quin potius de vindicta privata &
dura ista libidine iis rursus ægre faciendi, qui
nobis damnum attulere *S. præc:* quam, consen-
siente quoque politica, etiam in ipsis civitatum Re-
cto.

36
toribus condemnat. Verbo: tantum abest, ut religio Christiana discedat a doctrina vera politica in hoc momento circa fortitudinem militarem, ut potius eandem insigniter promoveat; quippe quæ de immortalitate animæ §. V. & beatitudine pios post hanc vitam manente non omnino reddat certos; quod quidem pro iusta causa bellanti non potest non metum mortis valde minuere, & stimulum ad pericula fortis animo subeunda haud exiguum addere.

§. VIII.

Sed sunt etiam alia bene multa sola revelatione cognoscibilia, quæ ratio sibi relicta procul ignorat, quorumque sublimitatem non æquat §. II. neque modum comprehendit, quocumque veritatibus per naturam cognitis coherant. Pertinent hæc, quæ de Trinitate personarum in una DEI essentia, quæ de magno opere redemptionis, & quæ de regno gratiæ eiusque economiam sacris traduntur. In hunc censum quoque veniunt, quæ de officiis Christianorum præcipiuntur, & quidem ex notione DEI, tanquam Salvatoris, atque notione hominis, tan-

37
tanquam a Christo redempti fluentia. His etiam annumeratur nova illa obligatio ad officia iure naturali præcepta, quæ ex iisdem notionibus derivatur. Sed quamvis ratio hæc nesciat, eadem tamen non ideo negat. Nam eo ipso, quod vim a quæ captum rationis superant, ab eis nequeunt negari & falsitatis cuiusdam argui. Ut enim dogma aliquod negetur, necesse omnino est, adsit sufficiens notitia objecti. De rebus quippe ignotis nihil judicari aut pronuciari potest. Quamobrem neque mysteria hæc, aut alia ejusdem commatis in revelatione obvia impossibilitatis cuiusdam a ratione accusantur; præsertim cum facile intelligat, multa esse possibilia, licet modus possibilitatis lateat; qualia etiam in regno naturæ occurrunt infinita; quare & eo lubentius concedit, ejusmodi regno gratiæ non repugnare. Hinc igitur patet, neque hoc modo contradictionem quandam locum invenire. Nec tamen dubium est, quin detur nexus veritatum naturalium cum revelatis, quamvis nobis in hac mortalitate non sit perspicuus; qui tamen aliquando, ri-

38
rite apparebit; ubi quæ jam hiatus var-
rie interstincta videntur, ab intellectu
coelesti gloria vestito, aptissime combinabuntur,
ut de mysteriis etiam plenissimam maximeque
coherentem notitiam finis impetraturi. Cate-
rum nec diffitemur, quamvis ratio intra spha-
ram suam cohibita, contra mysteria fidei non
quam pugnet, fieri tamen posse, ut quando ho-
mines, temeritate ducti iudicium sibi sumunt,
de iis, quæ sunt mere revelationis, ac de iisdem
ex ratione & naturalibus principiis aliquid pro-
nunciare cupiunt, errores & opiniones contra
fidem sapienter orientur. Hoc vero tantum ab-
est, ut ipsi rationi imputetur, ut potius nihil
in eo sit, quod rationis nomine compellari que-
at. Atque hinc patet quid de triumpho fidei
judicari oporteat. Non de ipsa ratione, sed
de falsis tantum opinionibus & hominum præju-
diciis fides triumphat; quippe quæ nunquam
rationem tollat, eamque, veluti erroribus
obnoxiam corrigat; quin potius defectus
ejus suppleat, veritates earumque connexiones,
rationi prorsus impervias, certas admodum &
planas reddens.

§. IX.

39
§. IX.
Ratio etiam intelligit totum naturæ ordinem
esse contingentem, h. e. talem, ut alio
prorsus modo institui poterit. Intelligit
porro dari eas a mundo diversum, in-
finita potentia ac virtute præditum, a quo
nexus rerum universus dependet §. V; quod &
ideo effectum in essentia & vi universi non fun-
datum, atque eventum ordini & cursui naturæ
plane adversum producere, imo & omnes le-
ges motus pro lubitu, & quando infinitæ ejus
sapientie visum fuerit, suspendere valet. Hinc
quando revelatio docet, ordinem hunc a DEO
revera mutatum esse, id omnino ratio juxta
admittere debet; adeoque, si axiomata quædam
ex ordinario naturæ cursu deducta ipsi aliquan-
do suppetant, quæ cum veritatibus a fide
prolatis nequeunt conciliari, ea statim ab-
dicat seque in obsequium fidei tradit. Possibili-
tatem itaque miraculorum sine ulla vera contradi-
ctione ratio facile admittit §. III. Sic ubi S. codex
Matth. XIV. narrat Christum aliquando in su-
perficie aquæ ambulasse, non a ratione pro
impossibili habetur aut negatur; siquidem leges
istæ,

40
ita, juxta quas experientia nos docet, omne
corpus fluido gravius, si in illud injiciatur,
fundum petere, non in se sunt necessariae, sed
contingentes; quatenus nimirum affectionibus
solum corporum, huic ordini inexistentium, com-
petunt; adeoque effectus etiam ab ipsis diversos
non excludunt, virtute nempe superiori accen-
dente. Sic & licet juxta ordinarium naturae
cursum homo mortuus, et jam contumelatus
computrescere, a vermibusque corrotus in pul-
verem redigi debeat; potentia tamen divina cor-
pus hisce vicissitudinibus posse liberari, ratio non
it inficias. Idem etiam de reliquis miraculis
sentit.

§. X.

Porro nec dubium est, quin cognitioni de
DEO, per naturam acceptae, lux affundatur
multo elatior ex veritatibus per sacras tabulas
declaratis. Continet autem imprimis oecono-
mia Gratiae multa, quae attributa divina, ratione
cognita, majorem in modum illustrant. Sic bo-
nitatis Divinae amplissimam regionem non possu-
mus non mente venerabunda admirari, quan-
do ipsum redemptionis opus ejusque modum con-
si-

41
sideramus. Sapientiae divinae profunditatem o-
pime adgnoscamus, ubi ex verbo divino edo-
cemur, DEUM ab aeterno praevidisse hominis
lapsum, & malis inde secuturis aptam adeo ac
sufficientem in Christo medicinam parasse. Quid?
quod has etiam supremi Entis perfectiones ple-
ne loquatur ordo & series illa actuum & o-
perationum, quae in gratiae applicatione se in-
vicem excipiunt. Sed neque hic rationi revela-
tio obstat, quamvis plura & evidentiora perfe-
ctionum divinarum criteria ob oculos ponat.
Utraque enim cognitio sibi debet esse confor-
mis, & veritas non potest esse veritati contraria
§.§. III. IV.

§. XI.

Adstruendum quoque est, rationem omnino
necessariam esse in fide amplectenda, &
viam quandoque parare eidem admittenda. Lo-
quimur autem hic de ratione utroque modo
accepta §. I. Et quod ipsam tanquam faculta-
tem hominis attinet, quis negaverit, subjectum
fidei esse debere rationale, nisi & idem bovem,
aut quidquam aliud rationis expertis, cognitionis
sacrae pietatisque capax esse dixerit? Sed ipsa quo-
que

42
que veritates rationis circa fidem haud cui-
guum præstant usum. Increduli enim argu-
mentis, quæ ex principiis ipsis familiaribus e-
ruuntur, sunt convincendi; principia autem omni-
bus familiaria sunt ea, quæ ex lumine rationis
petuntur. Si quis E. g. aut DEUM existere,
aut talem saltem esse, qualis revera est, nega-
verit, quo is alio modo corrigi & ad mentem
saniorum revocari poterit, quam argumentis ex
ratione desumptis? Sic etiam, qui ipsius revela-
tionis aut S. Scripturæ veritatem in dubium im-
pie vocaverit, huic ex ratione demonstrandum
est primum, quod sapientiæ ac bonitati divinæ con-
veniens omnino fuerit, revelatione quadam perfecta
voluntatem suam hominibus aperire, deinde quod
criteria omnia, quæ ex dictamine rationis veræ
revelationi competunt, in S. Scripturam quadrent,
& deniq; quod, quæ in ea docentur, Deo ejusq;
attributis maxime sint digna. Atq; hoc idem docet
praxis Apostolorum, quos reperimus non repudiasse
rationem, verum principia ejus inter disputandum
contra paganos adhibuisse; quod Paulus *Act.*
XVII. in oratione Areopagitica fecit, supersti-
tionum idololatricarum vanitatem ostensurus. Sic
&

43
& idem Apostolus *Rom. II. v. 6.* expre-
sse provocat ad lumen rationis. Eandem hanc
presterunt semitam, qui & olim & nostra
ærate de veritate religionis Christianæ scripse-
runt. Hæc autem sic accipienda non sunt, ac
si fidem revelationis omnem a sola ratione
suspendere; quin potius rotunde asserimus,
argumentis a ratione subministratis vim ac ro-
bur accedere maximum intrinseca revelatæ ve-
ritatis virtute.

§. XII.

Scriptura S. continet virtutes illas, quæ o-
mni scripto, rationali modo & cum indu-
stria consignato conveniunt; id neutiquam im-
pediente virtute divina eidem propria. Occur-
runt quippe in ea voces, quæ non sunt soni si-
ne mente, sed indicant id, quod Spiritus S.
illis designare intendit. Respondent itaque sin-
gulis hæc vocibus phrasibusque notiones deter-
minatæ, & quælibet earum sensum habet cer-
tum ac definitum. Præterea in S. Scriptura
supervacanea non afferuntur, nec scitu neces-
saria omittuntur, atque communis loquendi mo-
dus cum gratia quadam adhibetur. Non est i-

44
igitur impossibile, ut, lectis vocibus phrasibusque
verbi divini, illæ ideæ animum attenti subeant,
quas cum vocabulis DEUS copulatas voluit.
Hæc itaque apprime necessaria sunt media &
subsidia hermeneutica, quibus ad omne scri-
ptum intelligendum & interpretandum opus est.
Hæc vero ratio suppeditat, & ad hoc magno
sunt auxilio notiones directrices & regulæ, præ-
sertim in arte cogitandi præscriptæ. Docent quip-
pe hæc, notiones cum singulis verbis iungendas es-
se, aut juxta communem usum loquendi, & quæ
antea animo legentis in hærent & in præsentem
taxat applicantur, aut quæ enascuntur, dum
quis ipso opere in se experitur ea, de quibus
est sermo. Sic quando Paulus *Rom. I.* vocat
se servum Christi, genuinum effati sensum habe-
mus, ubi notionem servorum, qui tunc tempo-
ris fuere Romanis, in memoriam nobis revoca-
mus. Ubi Salvator *Matth. XIX.* loquitur cum
Nicodemo de regeneratione, non alia utique
notio voci *καλλιγενείας* jungatur oportet, quam in
ipso actu regenerationis homo in se ipso depre-
hendit. Sed plures etiam canones hermeneuti-
ci, quos ratio tradit ad interpretandas sacras
li.

45
litteras commode possunt applicari. Voces sunt
signa cogitationum, quas nemo penitus in-
telligere potest, quam ipse, qui cogitat.
Quamobrem per se patet, quemlibet esse ver-
borum suorum interpretem; atque adeo Scri-
pturam ex Scriptura explicari debere, quod
communiter analogiam Scripturæ appellant;
prout in omni scripto verba clariora ob-
scurioribus illustrandis adhibentur. Versiones
ex linguis authenticis sunt signa signorum, seu
vorum, quibus utitur lingua originalis; interpres
itaque notitia linguarum originalium commode
carere nequit. Pendet hinc necessitas studii
grammatici in interpretatione S: Scripturæ. Hi-
storiam etiam antiquitatumque notitiam habe-
re, ad interpretandas sacras litteras quam-
maxime est accommodatum. Nec negligenda
sunt, quæ Rhetorica cum primis ad pro-
prias vocum significationes a tropicis discernen-
das suppeditat. Hinc & inter præcipuas regu-
las hermeneuticas hæc quoque non ultimum lo-
cum tenet: a proprio verborum significato
non esse discedendum, nisi summa & evidens
ne.

46
necessitas hoc postulet; nimirum, si proprietate retenta, sensus prodiret aut analogiæ fidei, aut veritati manifestæ repugnans. Atque sic reliqua etiam sanioris Hermeneuticæ fundamenta, quæ ratio tradit, ad interpretationem sacrarum literarum recte possunt adhiberi; ut vel hinc appareat, rationem cum fide amice admodum consentire.

§. XIII.

Sed veritates revelatæ ita omnino sunt comparatæ, ut cognitio unius pendeat a cognitione alterius, adeoque apta quadam serie inter se cohereant. Patet hoc ex objecto primario revelationis, opere nimirum redemptionis, imo tota œconomia salutis, in quantum sapientia divina inde elucescit *Eph. III. v. 10.* Sapientiæ autem est, fines eligere optimos, & media ad illos obrinendos adhibere convenientissima; ita quidem, ut prius contineat in se rationem sequentis, & sic omnia in linea descendenti & collateralis via brevissima ad finem ultimum tendant. Quum itaque revelatio, tam in ipsis consiliis divinis, quam eorum executione comparatam adeo finium subordinationem exhibeat, quod

47
quod per singulos articulos fidei demonstrari posset, nisi periculum foret, ne pedem inferretur in forum alienum; patet inde veritates istas in systema quoddam veri nominis redigi posse. Ad hunc vero nexum pervidendum, pariter ac systema ejusmodi harmonicum rite condendum, necessaria omnino est ratio bene exculta. Quamvis enim propositiones ipsas præbeat revelatio; mutuam tamen earum dependentiam inquirere, singulas, quo se invicem excipiunt ordine collocare, adeoque universas in modum justis systematis disponere, id vero rationis est munus. Neque enim ad hoc alia opus est methodo, quam qua in veritatum naturalium connexionem utimur. Absit autem dicamus, nullum in revelatione ipsa occurrere ordinem, dispositionem veritatum nullam; contrarium res ipsa loquitur, & cuilibet ad libros Hagiographos debitam attentionem adhibenti ad oculos patebit. Sed quemadmodum πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως ἀλάλῃσιν ὁ Θεός *Ebr. I. v. 1.* ita, quæ per universum sacrarum pandectarum ambitum dispensatæ sunt veritates, & ibi modo plenius modo parcius, proportionem nimirum scopi & instituti particularis exhibent.

48
plicatae reperiuntur, quin facta undique con-
quisitione in unum corpus coagmentari possint ac
debeant quis dubitaverit? In systemate ejusmo-
di & veritates revelatae ipsae, & mutua earum
ad se invicem relatio melius intelligitur & faci-
lius memoria retinetur. Cavendum vero, ne
systemati ingerantur speculationes metaphysicae
& scholasticae subtilitates, quarum ne vestigium
quidem in codice divino occurrit; prout ne-
que huc admittendae sunt spinosae ac intricatae
quaestiones, quae non faciunt ad negotium salu-
tis. Nihil hic admiscendum est heterogenei,
sed quae in fontibus ipsis se obviam praebet pu-
ritas ac simplicitas, eadem, quantum unquam
fieri potest, in rivulis est
retinenda.

SOLI DEO GLORIA

